

sive criticâ, sive symptomaticâ, è sede, ore, utero &c. 2. Specialiter, pro ea quæ è naribus fieri solet, etiâ nō expressâ partikulâ, unde effluit, teste Gal. 7. Epid. apud Hippocr. De priori, nos jam breviter àcturi sumus.

ACCIDIT, ubi vasis sanguinem continentibus, venis scilicet & arteriis occurrit aliqua causa p. n. merito cujus facultas illorum retentrix frustratur aut expultrix irritatur.

DEFINITUR, quòd sit Excretio sanguinolenta p. n. prodiens à frustratione facultatis retentricis, vasorum sanguinem continentium.

GENUS seu forma, est excretio sanguinolenta p. n. Sanguinolenta quidem, ad differentiam aliorum excretorū, ubi per sanguinē, tum venalē, tum arterialem intelligimus, syncerum, nec non cum aliis succis permistum. Additur p. n. ad differentiam fluoris critici, & sanguinis ab utero singulis mensib. exeuntis, qui fit s. n. Quamvis & hic aliquando evadat p. n. si non ratione loci, saltem ratione copiae, qualitatis, modi, ac temporis. Cū verò ab aliis prodit partibus, ratione etiam loci p. n. prodire dicitur, & ideò tunc est excretum à toto genere p. n. Cū v. immoderatè ab utero, simpliciter p. n. Atq; horum utrumq; sub hâc definitione comprehendimus.

SUBJECTUM duplex constituendum, 1. à Quo, sunt venæ & arteriæ, vasa, quæ sanguinē continent. 2. PER QUOD, uti nares, aures, os, uterus, vesica, penis, anus, intestina, gula, mamma, oculi, maxillæ, apices digitorum, umbilicus, & aliæ partes complures, ex observatione CL. aliquot Autorum.

CAUSA IMMEDIATA est actio læsa facultatis retentricis. Aberrat enim à proprio scopo, quia non retinet id, quod alioquin retinere deberet. Actio v. læditur, vel organo læso, vel ex objecto improporcionado, sibi oblato. Primum habet locum, quatenus vasa sanguinē continentia, laborant aliquo morbo, propter quem facultas læditur, qui morbus s. Metth. cap. 2, 3. de sympt. o. caus. ult. est duplex: In mala cōpositione & solutâ unitate. In mala compositione, ex parte vitia-